Peack insulae St. Thomas (G. Mann n. 1073.) — Arbor 40-pedalis Folia 12—18 cm. longa, 7—11 cm. lata.

102. *Antidesma* (sect. *Antipetalum*) *stenopetalum*, foliis obovatis breve cuspidato-acuminatis basi acutis, racemis masc. tenellis elongatis flexuosis laxifloris, calyce masc. usque ad medium 5-fido, lobis orbiculari-ovatis acutis hispidulo-pubescentibus, petalis masc. sublineari-spathulatis acuminatis superne ciliolatis, glandulis disci obconicis pilosis. In Africa occidentalis aequatorialis insula Principum (G. Mann, absque Nr.). Praecedente gracilior, flores duplo minores.

103. *Antidesma laciniatum*, foliis lanceolatis acuminatis basi obtusis, stipulis magnis oblongo-ovatis utroque latere superne profunde inciso-1—3-laciniatis subpersistentibus, bracteis linearilanceolatis, floribus utriusque sexus arcte sessilibus, calyce usque ad medium diviso masc. 4-fido foem. 3-fido extus intusque piloso, disco masc. undulato foem. integro glabro, staminibus 3 (—4), rudimento ovarii cylindrico glabro apice capitato, fructu oblongo-ellipsoideo subrecto utrinque breve acutato grosse scrobiculato. In Africa occidentali ad Fernando-Po (Mann. n. 201, 256). Arbor 15—30-pedalis. Ramuli apice cum stipulis ferrugineo-pubescentes. Folia 15 cm. longa, 5—8 cm. lata, rigida; glabra v. subtus in costis pubescentia. — Species stipulis insignita, ludens:

— — * *membranaceum*, foliis membranaceis junioribus subflaccidis, indumento ramulorum et costarum paulo longiore. In Africa occidentali ad Bagroo River (Mann, absque Nr.).

(Fortsetzung folgt.)

W. Nylander: Circa Pezizas binas Gallicas novas.

Haud pauci Fungi thecaspori vere arctissime accedunt ad Lichenes, aeque ac plurimi Lichenum infirmorum tangunt Fungos analogos, hoc jam bene constat. Sed perperam omnino genera quaedam ab auctoribus Massalongianis Lichenibus adscribi videmus speciebus, quae inter genera Fungorum satis cognita pertinent. Talia sunt sic dicta *Pragmopora*, *Weitenwebera* etc.

Species autem naturae maxime dubiae sistunt haud raro parasitulae, quae saepe supra thallos et apothecia Lichenum inveniuntur.

Nec minus ambiguae sunt species quaedam thallo destitutae

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05979-0524-4

proprio distincto vel in substrato algologico (gloeocapsino vel protococcoideo) apotheciis solis nascentes. Tunc analogiae typorum potissime determinare videntur, an Lichen sit aut an Fungus species talis amphibola. Si analogon aliquid nectens habet inter Fungos et si typo gaudet recedente a Lichenibus, est Fungus.

Sequentes binas species ad Fungos referre cogor, ad *Pezizas* nec ad *Lecideas*, quoniam nullae Lecideae in affinitatem quandam vel similitudinem exhibentes cognitae sint. Cum Pezizis (sectionis *Mollisiae*) commune ambae habent texturam mollem, et defectu paraphysum recedunt a Lecideis. Thecae iodo addito coerulee tinguntur, hocce autem jam in Pezizis haud paucis observavi.

1. *Peziza belonaea* Nyl.

Apothecia albido-incoloria vel sordide albida (sicca grisea vel griseo-rufescentia) parvula (latit. 0,3 vel paullo minora aut majora) superficialia planiuscula immarginata, intus concoloria; sporae 8nae aciculares (saepe 7-septatae), longit. 0,060—0,090 millim., crassit. 0,003 millim., thecae oblongo-cylindricae (iodo coerulescentes, dein violacee tinctae) confertae, paraphyses graciles parcae irregulares et solum rudimentariae.

Legi eam jam abhinc decem annis supra terram in sylva Mendon regionis Parisiensis. Deinde detecta est a cl. fratribus Crouan prope Brest. Substratum plus minus visibile pallido-virescens algologicum.

2. *Peziza abscedens* Nyl.

Apothecia sordide albida molliuscula immarginata prominula; sporae 8nae incolores ellipsoideae vel oblongae 1-septatae, longit. 0,022—25 millim., crassit. 0,010—11 millim., thecae confertae oblongo-cylindricae pariete crassiusculo constitutae (iodo leviter coerulescentes, deinde vinose lutescentes), paraphyses vix ullae propriae (gracilium rudimenta irregularia).

Prope Brest (Crouan), supra terram et magma algosum (ex Algis inferioribus formatum).

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05979-0525-0

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1864

Band/Volume: 47

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Circa Pezizas binas Gallicas novas 520-521